

scientiæ magnitudine ac præstantia, & te suspicimus Il-  
lustriss. Princeps, max. amatorem illius, & quicquid cō-  
ceditur ad hanc ornandam augendamq; in commune  
conferre non desinimus. Laborat enim hæc scientia o-  
mni ex parte, neglectione & incuria miserum in modū  
affecta. Cui etiam ipsi omnia difficiliora q̄ cæteris arti-  
bus obñciuntur, quòd illæ in summa quoq; tenuitate  
ac inopia geri tractariq; possunt, hæc requirit non pri-  
uatorū impensas, sed regios sumptus, cum alijs de caus-  
sis, tum propter necessitatem perpetuæ obseruationis,  
non unis in locis, sed diuersis, quasiq; alijs atq; alijs cæ-  
li plagi. Hæc Regum quondam cura fuit, quæ longo  
tempore intermissa inuexit rerum incertitudinem insi-  
gnem. Quod nisi aliquorum doctiss. uirorum seduli-  
tas, & Herculanus quidā labor succurrisset, fortasse ia-  
cerent omnia nūc cōfusa & inuoluta caligine, aliquisq;  
ut ille apud Homerum suspiciens cælū ita loqueretur.

O socij, neq; enim qua lux cat atq; tenebrae  
Samus, Et ignota est nobis uia Solis, ubi ille  
Proferat eñ terris, Et ubi sua lumina condat,  
Consulite in medium.

Cum autem sint duæ huius scientiæ partes, harū ut pri-  
or, quemadmodum & Ptolemæus ait, ipsa per se absolu-  
titur, ita certe uel gignit uel conciliat sibi alteram præ-  
dictionum atq; uaticiniorū. Quam tamen ipsam qui  
à naturali modo abducunt, qua ratione illi priori ap-  
plicare possint non uideo. Quæ si est propter uel impe-  
ritiam uel neglectum hominū his temporibus minus  
perspecta, cui obscurum fuerit, hanc posteriorem quo-